



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput IX. De Voto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

item repellere à nova sede demonem: Id & illi
supernaturaliter concedendum esset, & per aliud misa-
culum foret idem revelandum id fuisse concessum, quæ
de scilicet, quam ardua sint, nullus non videt.

21. Aliam exceptionem, seu declarationem legi apud
Tancr. tom. 1. de Relig. d. de adjur. num. 67. posse scilicet
adjuratorem concedere, ut exeat demon, si concessio
non fecerat in hunc hominem determinatè, sed in ali-
quem indeterminatè, ut si demon diceret: Si hinc abeo,
alium hominem arripiam, posset respondere Exorcista
Etiā alium aggredere. Ratio est, inquit, quia jam da-
mon non potest deinde in aliquem determinatè ingre-
diendi, sine Dei voluntate.

Verum animo nequaquam sedet hæc exceptio, perin-
de ac non sedet ejus ratio. Si quidem ne sine Dei quidem
voluntate in hominem determinatum ingredi eidem
conceditur, & tamen id ab Exorcista permitti nequit,
quæ cum contra utramque permissionem, tum de de-
terminata scilicet, tum de indeterminata persona obli-
ganda, eadem militent inconvenientiæ, ut accuratè con-
sideranti constabit: concedi, seu permitti neutra potest.

Mentiones non inutiles pro Adjuratoribus.

22. Primò, ex Suar tom. 2. de Rel. lib. 4. de adjurat. c. 1.
11. Sanch. lib. 2. in Dec. c. 42. n. 4. Castr. d. 4. de adjur. p. 2.
11. Licet Exorcista ex iustitia se obligari ad adiuvandum
demonem, si sit Pastor, & prudenter judicet se posse ob-
fesso suis adjurationibus opulari: imò, qui non est Pa-
stor (modo non adit aliud remedium aquæ benedictæ,
aliarum orationum, Agnorum Dei, &c.) tenebitur ex
charitate, quando sine magno suo incommodo per Adjura-
tionem adjuvare potest, juxta regulas generales, de
precepto Charitatis.

Videò tamen vix prudenter posse Exorcistam judicare,
se tantum auxilium ferre, nisi sit admodum peritus, &
prospero experimento contra demonem comprobatus.

23. Secundo: qui solemniter, & publicè demoniacum
adjurat, Sacerdos sit, vel saltem prima tonsuræ Clericus
iniguus, vel certè Religiosus Deo dicatus (& quidem
ejusmodi ut non subit periculum, quod à demone de-
cipiatur) id enim pertinet ad publicum ministerium à
Christo Domino relictum Ecclesiæ.

24. Quid, si Laicus sing dicto periculo demonem
vellet solemniter, & publicè adjurare? Respondeo: pec-
catum mortaliter, etiam si doctissimus sit, aliqui do-
centia Tancr. loc. cit. num. 42. Ratio est, inquit, quia
affert aliis scandalum, & quia à gradibus Ecclesiasticis
sejunctus publicè eorum ministeria, ac solemniter usur-
paret. Ego non peccatum mortaliter putò Primò, quia
neque sic peccat, qui publicè Missæ interfuit, Acolythi
v.g. minus exerceans: multò minus ergo, qui Exorcistat.
Secundo, quia omnes fideles Baptismo Christi insigniti,
terribiles sunt demoni, juxta illud, quod fidelibus opor-
tet dictum est: In nomine meo demonia ejicient. Tertio,
quia jam insinuas privatim posse, etiam Exorcismos Ec-
clesiæ recitando. Ita Suar. l. 2. de Rel. lib. 4. de adjur. cap. 2.
n. 10. Sanch. lib. 2. in Dec. c. 42. n. 18. Castr. disp. 4. citata
p. 3. n. 2. cur ergo non publicè? Propter scandalum: &
reor, ut sit scandalum passivum. Sed facit esse activum.

Fateor, si quando ejusmodi apparet, non licere: Sed ad
hoc inter fideles raro contingere: quod si contingat,
facile possit astantes ab ipso adjurante instrui de rei veri-
tate. Quarto, quia non obstat alieni ministerij usurpatio;
nam in re tam necessaria, atque utili proximo, tamque
modici præjudicii, facillimo negotio Ministrorum rati-
habitu præsumi potest. Quintò, quia quod aliquibus
ex officio competit, non negatur aliquando aliis, qui
idem non ex officio faciunt. Sic baptizare convenit ex
officio Sacerdoti, nec tamen propterea negatur Laicis,
imo, & forminis in necessitate, & sexcenta similia; &c.

Hæc igitur sententia probabilis est, si semel, aut ite-
rum demoniacus à docto, piæque Laico publicè adjure-
tur; ceterum, si sapius, cum admiratione gravi populi

Part. I.

cum contraditione Parochi, &c. id, attentaretur; certè
tunc juxta gravitatem scandali, vel contraditionis, gra-
vis esset constituenda culpa.

25. Tertio, licet Exorcista scribere nomen diaboli
& illud comburere; licet in obfessum expuere, licet le-
viter percutere, & similia; atque hæc in demonis com-
temptum. Ita Delrius lib. 2. Magic. q. 30. sect. 3. Sanch. lib. 4.
in Dec. c. 4. n. 33. Tgullench. lib. 1. in dec. c. 14. n. 21. Castr.
l. c. p. 4. n. 15. alique passim; quia ceterum res corporales
vim nullam habent ad vexandos spiritus, qui rebus cor-
poris non afficiuntur, nisi fortè ut signis. Lege S. Aug.
l. 2. de Civ. Dei, c. 6. capillos radere, si fiat ad superstitio-
nem, v.g. ut facilis exeat, pilis non impediens, da-
mon; certè non licet: sed licet posset fieri, vel ad da-
monis contemptum, vel ad amonendum signum malici-
e, fortè in capillis per unguenta adhærescens, ut alibi
dixi, cum de maleficio.

26. Quarto, medicamenta, vel suffumigia naturalia
adhibere etiam licet, quia demoniacus non raro attra-
hili, aliisque noxiis humoribus abundat; sed hæc medi-
cis præstanda potius relinquat adjurator, quam ipse ex-
hibeat. Atque hic in multis peccant mulierculæ, remedia
adhibentes inutilia. Nam primò, peccant contra iusti-
tiam extorquentes pro semerito pecuniam, & inutiles
sumptus cauendo in aliis. Secundo, contra iustitiam ite-
rum, & contra charitatem, dum sunt causa, ne infirmus
alia utilia remedia quærat, quibus fortè convalesceret.
Tertio, contra Religionem, dum sunt causa, ut vanis su-
perstitionibus, quas ipsæ frequentissimè admiscunt, sim-
plices, ac rudes adhæreant, atque insistant.

27. Quintò, non licet acriter flagellare, vel pignis
percutere demoniacum: Ita Delrius, Sanchez, Castr.
ibid. quia & esset contra charitatem proximæ, & nihil
utile fieret ad expulsionem eorum spirituum, qui corpo-
reas percussiones non sentiunt.

Quid, si demoniacus esset Clericus? Si Exorcista, licet
imprudenter, & cum culpa, demonem in obfesso gravi-
ter percuteret, incideret in excommunicationem: Si
quis suadente? Respondeo. Nisi ignorantia excusationi
esset, sanè incideret, quia jam Clericus percutitur.

Dices: at non percutitur Clericus, sed demon in
Clerico. Respondeo; at percutitur etiam Clericus: at-
que adeò Clericus in demone, idque fit suadente diabo-
lo, posito, quod ignorantia non excuset, & ad veras inju-
riam gravem te facere Ecclesiasticæ personæ. Idemque
verum haberet, si demon te contumeliis, v.g. afficeret, &
tu excandescens, illum in vindictam graviter crederes;
tunc enim, quamvis directè tua intentio ad demonem
contemnendum ferretur, tamen non demoni, sed Cle-
rico realem percussiois injuriam infligere, idque non
suadente solum, sed excitante etiam, ut ita dicam, & com-
movoente diabolo excandescitiam tuam. Si carnem, v.g.
contra te latrantem stricto gladio prosequeris, & il-
lum in sui Domini Clerici sinum profluentem, simul
cum Domino (id advertens) confoderes: nonne in ex-
communicationem incideres? Ita sanè, quia sic injuriam
Clerico facis: & tamen directè, & ex prima intentione
canem ferire, non Clericum percutere, contendebas; non
absimili modo in calu nostro, &c.

CAPUT IX.

De Voto.

Votum quid sit, & quomplex.

1. VOTUM, quod est promissio facta Deo de re
ipsi grata, id est, ad ejusmodi Dei cultum: ut
constituatur, quinque requirit. Primò, Deliberationem:
Votum enim debet esse voluntarium liberum. Secun-
dò, Propositum. Tertio, Promissionem sub obligatione.
Quarto, esse Deo factum. Quintò, esse de re ipsi grata. Hæc
igitur suo ordine declaramus: quibus, si quid addiderimus

M 3

de voti, cessatione, satis erit de hac materia completa tractatio.

2. Dividitur autem votum. Primum, in absolutum, pure conditionatum, & penale.

Secundum, in solemne, id est, quod acceptatur in Ecclesia: & simplex, quod privatim emittitur.

Tertium, in necessarium, hoc est, de præcepto debito; & in liberum, seu, ut alij loquuntur, in commune, & singulare.

Quartum, in reale, in quo promittitur res externa, in personale, in quo votetur actio personæ; & in mixtum in quo utraque.

Quintum, in affirmativum, quo scilicet promittitur aliquid positivum, v.g. elemosyna, & in negativum, quo aliquid negativum, v.g. abstinencia à carnibus.

3. Adde denique, quasdam alias divisiones accidentales: v.g. in perpetuum, & temporale: in reservatum, & non reservatum: in publicum, & occultum, &c. quorum & similium explicationem, ubi opus erit, in deinceps afferendis non negligemus.

CAPUT X.

De libertate requisita in Voto.

§. I. Qualis deliberatio requiratur.

1. **E**A requiritur, & sufficit, quæ ad peccatum mortale? ita Sanch. Suar. Arag. Mol. apud Laym. lib. 4. n. 4. c. 1. n. 3. Quod ea requiratur; Ratio est, quia votum est lex, quæ sibi vovens imponit; at imponere sibi, ut etiam alteri obligationem, ex se grave quid est, nec est rationale, eam posse sine maturo iudicio, plenoque imperio libertatis, imponi. Nam propterea semiplena libertas, quæ est in semidormiente, & semibrio, vel in primis quibusdam motibus, licet sufficiat ad culpam venialem, non tamen ad Votum: quia hoc modo grave aliquod onus sine maiora discussione imponderetur vovendi. Quod ea sufficiat, ratio est, quia illa deliberatio, quæ in peccando sufficit ad demeritum, sufficit ad Voti meritum: & recte Glossa cap. Mulier, 32. q. 1. Quæ (ait) per tantam deliberationem potest obligari diabolo, nempe per peccatum, potest etiam obligari Deo, nempe per Votum. Non ergo requiritur omnis convenientia, & disconvenientia exacta discussio circa Votum mittendum; sed, si recte satis pauci essent qui vera Vota conciperent, cum communiter in calore timoris, vel iracundia, imò non raro, in fervore devotionis, Vota emitti solent. Nec statim poenitere Voti facti, vel quod sine calore Votum non fuisset emissum; signa sunt non adfuisse debitam deliberationem: sapientissime enim multa deliberatè in aliqua circumstantia sunt, quorum statim poenitet, & in alia circumstantia omnino rejicerentur.

2. Dices: Vovere sine exacta discussione prædicta, ut, v.g. in calore iracundia affert aliquando peccatum veniale, sicuti afferre mox dicemus, vovere cum sola deliberatione semiplena, quia in utroque casu deest prudentia in vovendo; ergo non validum est Votum, cum Deo gratiam esse non possit, quod fit cum peccato. Respondet, negari debere consequentiam. Ratio est, quia cum in nostro casu jam ponatur libertas necessaria, ut supponimus, ponitur jam completè votum in substantia, & solum defectus est in circumstantia extrinseca, id est, votum conjungitur cum defectu exactioris discussionis: quare Deus acceptat sacrificium, & quodcunque opus in substantia bonum: & non respicit culpam venialem, qua quis, verbi gratia, per aliquam levem negligentiam, vel vanam gloriam, illa operatur.

3. Vovere autem cum sola semiplena deliberatione, quæ cum ad Voti substantiam non sufficiat, Votum veniale non constituit, semper est veniale. Sic Suar. Sanchez, Caiet. Valent. apud Castr. Pal. tom. 3. tr. 1. §. d. 1. p. 4. n. 5. quia tunc si ve in Voto de gravi, si ve de levi semper adest

deus prudentia, quæ non videtur posse ascendere ad deordinationem mortalem.

Excipit primum Castr. Pal. ibid. nisi ob vovendum cum imperfecta deliberatione exponeret se quis periculo vovendi aliquid, graviter illicitum; excipit secundo Sanchez cum Suario apud eundem ibid. nisi quando se quis exponeret periculo transgrediendi Votum grave. Sed certe vñtam mihi dabunt, tanti Doctores proferendi quod sentio. Vel hi casus sunt admodum Metaphysici, vel potius nulli. Si enim is, de quo loquimur, semiplenam habet deliberationem circa vovendum, semiplenam etiam deliberationem habebit circa periculum, cui se exponit: ergo non peccabit mortaliter sic se exponendo: nam ad mortale omnes semus plenam debere adesse deliberationem. Quod si iudicis posse occurrere casum, in quo quis semiplenè deliberatè voveat, sed plenè deliberatè videat prædictum periculum: mirum dices, & mihi, vel quid incredibile, vel quid valde Metaphysicum. Propterea, si iidem dicti Authores, Suar. Sanchez, Lell. apud eundem ibid. n. 2. & omnes dicentes, votum ex semiplena deliberatione non esse verum votum, atque adeo nullam afferre obligationem: ut modò n. 1. vidimus: quoddam peccatum grave erit, illud, quod omni caret obligatione, non observare, ejusque fractionis periculo se exponere. Denique falsum est, hunc se exponere periculo vovendi rem tunc illicitam; Patet, quia nihil voveret, obstante scilicet semiplena, seu imperfecta deliberatione, quæ substantiam voti de medio, ut dictum est, omnino tollit: qui autem non verè voveret, nec illicitè vovere verè poterit.

Quando dubium incidit, an votum cum debita deliberatione fuerit conceptum; quid præsumendum? *supra* lib. 1. cap. 3. §. 17. *de Votum*.

§. II. An ad Votum sufficiat deliberatio virtualis.

1. **O**vidiam exacto probationis anno ritè ad Oratorium accessit, vota professionis coram Prælate ex vero animo emissurus: illa tamen ex scripto recitavit quidem, sed profus nulla actuali deliberatione, animo nimirum distractus, atque ad omnia alia, præter ipsa vota, intentus, & quod caput est, affirmat se voluntariè distractiones illas admisisse. Dubitavit, an sine necessitate eadem ratificandi, valida fuerint sua vota. Dixi valida fuisse. Sanchez lib. 4. in Dec. cap. 1. n. 6. Castr. Pal. lib. 3. alique Ratio fuit, quia jam adfuit deliberatio, seu intentio virtualis, quæ sufficit ad validitatem voti: Sicut enim virtutis intentio sufficit administranda Sacramenta, imò & ad omnes humanas actiones præstandas, sic ad vovendum. Tercò, si sola adfuisse habitualis, vel indirecta, ut si dormiens, vel ebrius vota legisset, nullatenus fuissent valida: Verum, quænam sit intentio actualis, virtualis, habitualis, indirecta, in opusc. 3. de sacrif. lib. 2. cap. 1. §. 2. explicuimus, quare ibi dicta huc à te sunt omnino transferenda.

Metus qua ratione impediatur obligationem voti, satis *supra* lib. 1. cap. 2. §. 4. disputavimus: De errore verò, vel ignorantia in votis, dicam mox cap. 13.

CAPUT XI.

De Proposito requisito ad Votum.

1. **P**ropositum est voluntas deliberata aliquid faciendi, quæ quidem semper prærequiritur in voto. Propositum enim continet solam voluntatem faciendi opus: Promissio huic voluntati, seu intentioni addit aliam voluntatem, se nimirum alteri, & in casu voti, Deo obligandi.

2. Hinc fit solum propositum non esse votum. An verò (ut id obiter hinc decernam) nolle facere illud bonum, quod firmiter quis proposuerat, sit veniale (nam certum est non esse mortale, nisi aliàs sit sub mortali præceptum)